5.77

Cod. Vindob. lat. 3301, fol. 218r:

~ Wimpheling?

De pictura et plastice.

Nostrates propre pictores esse omnium prestantissimos vel ipsa experiencia (que rerum magistra est) apertissime docet ¶ Icones Israelis alemani per universam europam desiderantur habentur que a pictoribus in summo precio. ¶ Quid de Martino Schon (!) columbariensi dicam qui in hac arte fuit tam eximius ut eius depicte tabule in Italiam in hispanias in Galliam in britanniam et alia mundi loca abducte sint Extant columbarie in templo divi Martini et sancti francisci imagines huius manu depicte. ad quas effingendas exprimendasque pictores ipsi certatim confluunt et si bonis artificibus et pictoribus fides adhibenda est nihil eleganciius nihil amabilius a quoquam depingi reddique poterit ¶ Eius discipulus Albertus Dürer et ipse alemannus hac tempestate excellentissimus est et Nurembergae imagines absolutissimas depingit que a mercatoribus in Italiam transportantur et illic a probatissimis pictoribus non minus probantur quam parasii aut appellis tabule ¶ Johannes hirtz argentinensis. hic dum in humanis esset apud pictores omnes in magna fuit veneracione